

O R A T I O
I N A R T I S
M V S I C Æ
C O M M E N D A T I O N E M.



A M S T E L Ä D A M I ,
Apud Jacobum Lescaille , prope Piscatorium.
M D C L I X.

Reverendo, Charissimo
J OHANNI F ONTANO,

Parenti meo , summo mihi amore
prosequendo:

Necnon

Piissimo , Doctissimo

D. A NDREÆ F ONTANO,

Pastori fidelissimo Ecclesiæ , quæ est

H A M B U R G A E.

Clarissimo, Doctissimo

D. ALEXANDRO DE BIE,

DI. A. M. & in illustri Amstelodamensium
Athenæo Mathefæos Professori ordinario.

Deinde

Amplissimis, Nobilissimis, Clarissimisque

D D. S C H O L A R C H I S,

Scholarumque Amstelodamensium

C V R A T O R I B V S.

Doctissimo juxta & Prudentissimo viro
D. CORNELIO SLADO,
Linguarum variarum, historiarumque
Amatori maximo, Gymnasii publici, in veteri
urbis regione, Moderatori vigilantissimo.

H O C O R A T I O N I S

*In grati animi, & veri amoris signum L. M. Q.
offerò & inscribo*

PHILIPPUS FONTANUS.

ORATIO IN ARTIS MVSICÆ COMMENDATIONEM.



I quid ego A. generis nobilitate conspi-
cui, auctoritate graves, pietate, omnique
eruditione insignes, si quid ego , inquam,
de recreationibus , atque exercitiis hac
estate judicare possum , Musicam artem,
propter excellentem ejus ac divinam
quandam in formandis hominum mori-
bus , regundisque affectibus suavitatem , præ omnibus aliis
habendam esse in pretio arbitror ; neque audiendos hic
eos, qui, Scytharum illum Regem secuti, malle sese aut hin-
nitus equorum , aut boum mugitus , aut ovium balatus , aut
latratus canum , quam Musicæ concentum audire asserunt.
Esse etiam in nobis cum harmoniis , & numeris quædam à
natura cognatio videtur ; imo animum harmoniam esse ,
quibusdam placere doctis intellexi. Quin & ingens homi-
ni Deus Opt. Max. in Musica solatium dedit. Atque hoc
est (ut de suo mihi Poëta suavissimus id largiatur,)

*Cur cantet vincetus quoque compede fessor ,
Indocili numero cum grave mollis opus ;
Cantat & innitens limose pronus avena ,
Adverso tardam qui vebit amne ratem.
Quique refert pariter, tentos ad pectora remos ,
In numerum pulsâ brachia versat aquâ.
Fessus ut incubuit baculo saxoque resedit*

*Paster arundinea carmine mulces oves ;
Cantantis pariter, pariter data pensa trabentis,
Fallitur ancilla decipiturque labor.*

Hæc ergo est illa scientia, quæ divinæ quodam providentiæ dono humano generi data est , quo se ex tantis miseriis , laboribus, & calamitatibus ; aliquo modo recreet atque reficiat. Hæc omnibus, & studiis, & sexibus, & ætatis opportunita est atque accommodata : hac infantes in cunis adhuc vagientes oblectati, nutricum dulcibus ac materculatum naniis sponuntur : hac pueri cum æqualibus cantillantes frequenter utuntur : hac juvenes atque ætate florentes maxime abripiuntur : hac senes reliquis jam defervescentibus voluptatibus , naturæ dulci quodam instinctu delectantur. Nulla denique natio est, nulla gens, nullus ordo, qui non artificiosa canendi ratione moveatur.

Quare de tam eximia singularique scientia dum breviter apud vos dissero A. O. quæso ut quemadmodum capistis , diligenter ac benevolè verba mea audiatis. Primum enim de origine & antiquitate Musicæ : deinde de dignitate ejus atque præstantia : tum de viribus ac utilitate pauca in medium proferam.

Atque, ut à vetustate potissimum exordiar, si veterum historias percurramus , si diligenter rerum antiquarum monumenta evolvamus , nullam profecto post homines natos scientiam , nullam artem , sive inscriptam libris , sive insculptam animis, ante eam fuisse reperiemus , qua primi illi parentes , humani generis principes, aut votis suscipiendis, aut gratiis agendis , bonorum omnium Autorem Deum venerabantur.

Certe Tubalem Lamechi filium , qui ex Caini stirpe ab Adamo septimus fuit , Patrem auctoremque fuisse accepimus eithara canentium & Organo ; ex quo facilis conjectura

atura est, ante eum fuisse alios, qui assa, ut antiqui loquebantur, voce, hoc sine fidibus ac tibiis cecinissent. Divinus Propheta Moses, in antiquissimo suo historiarum libro, cuius quot sunt verba, totidem videntur esse oracula, cum instinctu omnia scripsiterat afflatuque divino; is inquam Moses, quem Ægyptiacarum artium omnium disciplinis instrutum fuisse accepimus, ante se illud præclarum Dei donum existisse apertissimè indicavit. Nam cum mare rubrum salvum atque incolumem trajecisset populum, quem suæ habebat fidei communissimum, & jam cuncti aquas, hinc & illinc, ut planam aperirent transeuntibus viam, muri instar, conglobatas, novo illo, & inusitato prodigo, pedibus peragrascent, & iisdem existentia aquis, atque opertum hostium omnem vidissent exercitum, nihil prius habuit aut antiquius, quam ut convocato in unum quasi chorum, innumerabilium virorum agmine, rerum omnium moderatori, & admirabilium effectori Deo insignem illam gloriosissimamque victoriam suavissimo concentu Musico, & grandi quodam ac magnifico carmine gratularetur. Quod virorum exemplum fecutæ altera ex parte fœminæ, illud ipsum carmen, verborum sonum pulsu æris modulantes, incredibili volute decantarunt.

Si autem dignitatem ejus contemplari velimus, reperiemus eam tam in Dei populo, quam inter Ethnicos viguisse. Reges, Prophetæ, & Patriarchæ usi sunt ea ad Deum laudandum, ad agendas Deo gratias, ad beneficia ejusdem celebranda, & posteritati commendanda. Usi sunt eâ deinde Salomon, Esaias, David, de quibus ita Poëta:

Carmine divinos Moses celebravit honores:

Carmine grata Deo cecinit praconis David,

Rex pariter Vatesque pius.

Quin idem Rex, vir Deo gratissimus, citharâ adhibitâ, mysteria

mysteria & præpotentis Dei beneficia summa celebravit.
Quid vero de hac ipsa augustius potest afferri, quam quod
Deus ipse, huic suavissimæ arti, suo in templo locu[n]t con-
cesserit, cantari sibi cum gratiarum actione, laudari nomen
suum, in choro, tympano, cithara, organo, tubæ sono, cym-
balis benefonantibus jussifit? Quis inficias eat, hanc artem
majestate ac dignitate, omnes alias artes antecelleret, quæ
apud veteres tantum studii & venerationis est asecuta, ut
nemo citra ejus cognitionem satis liberaliter eruditus ha-
beretur? Proinde Themistocles celebrissimus Athenien-
sium Imperator, cum aliquando in epulis recusasset lyram,
habitus est indoctior.

Arcades in ea non solum pueros, sed adolescentes etiam
& juvenes, usque ad ætatis annum trigesimum exercebant,
homines alioqui valde austeri. Apud Græcos Osiris aut
Dionysius (eundem enim virum duplici hoc nomine intel-
ligere voluerunt) adeo hanc artem adamabat, ut cum exer-
citum duceret, suis in castris egregias quasdam virgines,
quas Musas postea appellarunt, continuo haberet Musices
peritissimas, omnique rerum scientia & cantandi suavitate
instructissimas. Ita Rex ille sapientissimus, à tanto armorum
streptu, ac tubarum sono avocavit animum, ut eum non-
nunquam relaxaret, honestissimaque voluptate frueretur.
Quid multa? tanto semper in honore & pretio propter
excellentem dignitatem Musica fuit, ut nemo paulo do-
ctor, atque ingeniosior unquam fuerit, quin ei plurimam
operam impendere voluerit; & præstantes Musicos ita su-
spexerit, quasi divinos quasdam, & multum supra se pos-
tos homines. Itaque ipse Socrates Philosophorum optimus,
jam senex institui lyra non erubuit, dicens: satius esse
præclaram artem serò, quam nunquam perdiscere.

Quid dicam de fortissimo Græconum Duce Achille,
qui

*Musicis cantibus adeo oblectabatur, ut à Chirone Thessalo
harmoniam lyricam edoceri voluerit, quā mergentes animi
curas discutere, & serenitati pristinæ sibi se restituere possent.
Celeberrimus Thebarum conditor summo studio præclara-
ram hanc artem exercuit, & maximam ejus peritiam ade-
ptus fuit, ut de eo noster Flaccus hunc in modum canat:*

*Dictus & Ampbion Thebana conditor arcis
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet.*

Ex quibus, præter dignitatem, etiam vis atque efficacia
Musicæ, simul & utilitas (ad quam jam transeo) clarè elu-
ceret. Quid enim intelligendum per saxa putamus, nisi duros,
& saxi instar, immobiles homines, quos ille hujus artis sua-
vitatem, ac carminum blanditie attraxit, & ad humaniorem
vitam, ac obsequium civile pellexit? ut non inconvenienter
de ea, quod de liberalium artium disciplina tradit Ovidius,
dici possit:

Emollit mores, nec sinat esse ferros.

Admiranda profecto Musicæ vis, qua tam dura moven-
tur saxa, tam rudes, ac, ~~tigri~~ instar, furentes homines do-
mantur, & ad officium perducuntur. Simili modo Orpheum
suum inducit Virgilius,

Mulcentem tigres, & agente carmine quercus.

*Sylvestres homines sacra interpresque Deorum
Cedibus & fædo vieti deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres rabidosque leones.*

Quia etiam majora hisce sacra nobis pagina suppeditat:
cum non tigres & leones, sed ipsum Dæmonem Musica
domari docuerit. Saul primus & pessimus Istaëlitarum Rèx
à Sathanæ obsidebatur: at postquam David citharam manu
tætigisset, ac voce suaviter cantasset, reliquit Regem hu-

mani generis inimicum. Hæc prope domina & moderatrix est animorum, quos movet, sedat, intendit, remittit, perturbat, tranquillat, incitat, reflectit, prout utuntur Musici, aut modorum incitatione, aut tarditate cantus. Quod docuit sapientissimus Philosophus Pythagoras, in iis Adolescentibus, qui cum tibiis instructi, & stimulati vino, jam jamque mulieris fores effringerent, admonuit tibicinem spondeum ut caneret, eorumque petulantiam hac ratione repressit. Sic & Antigenides, cum certo modo inflasset tibias, compulit magnum illum Alexandrum, quasi actum furore, cædem anhelantem, Martemque spirantem, surgere è cœna, arma poscere, equum incendere; cumque rursus alio cecinisset modo, confecto veluti bello, partaque victoriâ, desilire ex equo, arma ponere, redire ad convivii hilaritatem. Sed antequam singula A. Studiosissimi persequerer, dies me citius, quam Oratio deficeret. Hic ergo me æ oratiunculæ filum abrumpam. Retuli Musicam esse artem longe antiquissimam, eamque inter liberales, liberoque homine dignas artes censeri. Ostendi quanti eam fecerint antiqui, idque exemplis quibusdam tam sacris, quam profanis demonstravi. Probavi denique, tantam ejus esse efficaciam, tantas utilitates, ut jam inde à priscis illis temporibus, perpetuo rebus saeris sit adhiberi solita.

Quid aliud restat, quam ut toto pectori, & duabus, quod ajunt, ulnis, tam præstantem atque eximiam artem amplectamur, huic diligentem navemus operam: sed ita tamen, quoniam omnium rerum est satietas, ac omnia suum habent tempus, Musica autem ad relaxationem animi hominibus concessa sit, ut ea nobis non sit ἔργον, sed πάρεργον, οὐδυσμα in studiis, non οὐδυσμα, condimentum & jucundum αὐθιμαδαιτις, non quotidianum pabulum ac nutrimentum.

Con-

Concludam elegantissimi ingenii Poëtarum versibus :

Musica turbatas animas, egrumque dolorem,

Sola levat, meritò Divumque hominumque voluptas :

Qua sine nil jucundum animis, nec amabile quidquam,

Adueris numeros Superi vertuntur, & orbis,

Et cælo radiant ignes, quibus emicat ingens

Signifer, & leges, præscriptaque tempora servant.

Hac Phœbus Phœbique soror, duce, & aurea calè

Astra suos agitant constanti fædere motus.

Idcirco :

Quem non blanda juvant varii modulamina cantus

Hinc jecur & renes ægraue corda stupent :

Nam nihil humanas tanta dulcedine mentes

Afficit, ac melica nobile vocis opus.

Dixi publicè examine Verno anno 1659.

P H I L I P P V S F O N T A N V S.